

Bendiciones del campo

Y OTRAS RELATIVAS.



Bendición de las semillas para sembrar.

∇. Adjutorium nostrum, etc.


∇. Dominus vobiscum, etc.

Orémus.

DEUS, qui divini oris tui imperio germinare terram herbam virentem, et facientem fructum in mundi principio præcepisti : qui solus potens es dare panem comedenti, et semen seminanti : respice propitius ad nostræ precamina servitutis, ut hoc semen, quod coram tuis altaribus fidei devotione protulimus, tua benedictione ✠ sanctificatum, et gratia multi-

plicatum, tuæ exuberet fructibus largitatis. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Rociela con agua bendita.



Bendición de los campos y aguas infestados de langostas y otros animales nocivos.

(PROPIA DE LOS PARROCOS)

∇. Adjutorium nostrum, etc.

∇. Dominus vobiscum, etc.

Orémus.

PRECES nostras, quæsumus Domine clementer exaudi : ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc vermium seu murium, aut locustarum, vel aliorum animalium calamitatem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur :

ut per poténtiam tuam expúlſa, nulli nóceant, et hos agros, víneas aut aquas intácta dimíttant, quátenus, quæ ex eis orta fuérint, tuæ majestáti desérvant. Per Christum Dóminum nostrum. *Rz.* Amen.

Orémus.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, bonórum ómnium auctor et conservátor, in cujus nómine omne genu fléctitur cœlestium, terréstrium, et infernórum : concéde, ut quod de tua misericórdia confisi ágimus, per tuam grátiam effícacem consequámur efféctum; quátenus hos vermes, mures, aves, locústas, aut alia animália noxia segregándo ségreges, exterminándo exterminés; ut ab ista calamítate liberáti, gratiárum actiões

Majestáti tuæ referámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Rz. Amen.

Orémus.

DEUS qui famulórum tuórum Moysi, et Aarónis ministério ab Ægyptiis, pro glória nóminis tui locústas, bruchos, cínifes, aliasque plagas (scilicet justítiæ tuæ in peccatóres flagélla) avertísti, á filiis quoque Israel prohibuísti, á pópulo in te credénte símiles calamítates aufer; ut poténtiam tuam et beneficéntiam prædicémus. Per Christum Dóminum nostrum.

Rz. Amen.

Orémus.

LARGIRE, et conserváre fructus terræ, dignáre, Dómine Deus noster : ut temporáli-

bus gaudeámus auxiliis, et proficiámus spirituálibus incrementis. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄.** Amen.


Orémus.

ORAMUS te, Dómine Deus noster, ut hos agros, aut véneas, serénis óculis, hilaríque vultu respícere dignéris, tuamque super eos mitte bene❖dictionem : ut non grando subrípiat, non turbo subvértat, non vis tempestátis detrúncet, non æstus exúrat, non animália noxia comédant, neque inundatio plúviæ exterminet, sed fructus incólumes, uberesque usui nostro ad plenam maturitátem perdúcas. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄.** Amén.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Pa❖tris, et Fi❖lii, et Spíri-

tus ❖ Sancti, descéndat, et máneat super hos agros, aut véneas, et eorum fructus. **R̄.** Amen.

Rociélos con agua bendita.



Bendición para las aguas infectas.

(RESERVADA A LOS PARROCOS.)

❖. Adjutórium nostrum, **etc.**

❖. Dóminus vobiscum, **etc.**

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui Jordánis flúmen benedixísti, et in eodem baptizátus aquas purificásti, ut eleméntum salúbre efficerétur in remissionem peccatórum; has aquas quoque bene❖dicere, et sancti❖ficáre dignéris, ut nihil in eis nóxium, nihil péstilens, nihil corrúmpens máneat, sed omnia pura, et

munda in eis efficiántur : ut quae ad usum hóminum, ex eis creáta sunt, cum glória tua, et salúte nostra sumámus. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄.** Amen.

Rociélas con agua bendita.



Bendición contra los topos, langostas, pulgón, y otros gusanos.

(PROPIA DE LOS PARROCOS.)

El Sr. Benedicto XIV, Institución 47, considerando que otras bendiciones contra estos insectos, aunque piadosas y bien compuestas, son algo largas, propone al número 20 una más breve y llena de piedad, de que usó algunas veces el Sr. Benedicto XIII, para libertar el campo romano de la plaga de estas perniciosas bestezuelas.

Revestido el Párroco ó el Sacerdote con sobrepelliz y estola morada, dice :

Aña. Exúrge, Dómine, ádjua nos, et líbera nos própter nomen tuum.

Psalm. Deus, aúribus nostris

audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis. Glória Patri, etc. y se repite la Antífona : Exúrge, Dómine, etc.

V̄. Adjutórium nostrum, etc.

V̄. Dóminus vobiscum, etc.

Orémus.

PRECES nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, ut qui juste pro peccátis nostris affligimur, et hanc, múrium, (vel locustárum, vel vermium) persecutióne[m] pátimur, pro tui nóminis glória ab ea misericórditer liberémur, ut tua poténtia prócul expúlsi (vel expúlsæ) nulli nóceant, et campos agrosque nostros in tranquillitáte, ac quiete dimíttant, quátenus ex eis surgéntia et orta, tuæ Majestáti subvéniant. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄.** Amen.

Orémus.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ómnium bonórum remunerátor, et peccatórum máximus miserátor, et in cuius nómine omnia genuflectúntur cœléstia, terréstria, et inférnalia, tua poténtia nobis peccatóribus omnipoténter concéde, ut quod de tua misericórdia confisi ágimus, per tuam grátiam effícacem consequámur efféctum : quátenus hos pestíferos mures (*vel* locústas, *vel* vermes) per nos servos tuos maledicéndo maledícas, segregándo ségreges, exterminándo exterminés, ut, per tuam cleméntiam, ab hac peste liberati, gratiárum actiónes majestáti tuæ líbere referámus. Per Christum, *etc.*

Exorcízo vos pestíferos mures, (*vel* locústas, *vel* vermes) per Deum Patrem omnipoténtem, ✠ et Jesum Christum, Filium ejus, ✠ et Spíritum Sanctum ab utroque procedéntem, ✠ ut conféstim recedátis á campis, et agris nostris, nec ámplius in eis habitétis; sed ad ea loca transeátis, in quibus némini nocére possítis; pro parte omnipoténtis Dei, et totíus Curíæ cœléstis et Ecclésiæ sanctæ Dei vos maledícens, ut quocumque iéritis, sitis maledícti (*vel* maledíctæ) deficientes de die in diem in vos ipsos (*vel* ipsas) et decrescéntes, quátenus, reliquæ de vobis nullo in loco inveniántur, nisi necessariæ ad salútem, et usum humanum. Quod præstáre dignétur, qui

ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos et sæculum per ígnem.

R. Amén.

Rociélos con agua bendita.



Bendición del agua contra los insectos y animales nocivos.

V. Adjutorium nostrum, *etc.*

V. Dóminus vobiscum, *etc.*

Orémus.


BENE✠DIC, Dómine, hanc creatúram aquæ ut fúgiant locústæ, múres, vermes, erucæ, ceteráque animália ab hac domo, vel ab ómnibus segétibus, olivétis, hortis, frúctibus, vineis, et oléribus nostris, super quibus aspérsa fuérit per Nomen tuum sanctum, Deus Pater omnípotens, et Filii tui Dómini nostri Jesu Christi virtútem, et Sancti

Spíritus bonitátem : quod quidem Nomen sanctum tuum invocatum est super ipsam creatúram tuam ségetum, vineárum, olivetórum, ólerum, et fructuum, ut fiat salúbre aliméntum ómnibus qui utúntur illis. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Rociéla con agua bendita.

Bendiciones para animales.



Bendición el dia de S. Antonio Abad.

V. Adjutorium nostrum, *etc.*

V. Dóminus vobiscum, *etc.*

Orémus.

DEUS, refúgium nostrum et virtus, adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse